



**Pathol. spec.**

*1799*



hol. spec.

799

Gezeichnet von H. Dr. Helbig  
von der Kön. Bibliothek  
zu Dresden. 1837.

big  
4  
.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
HYDROPE PLETHORICO

---



QVAM  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO  
GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE

IN  
MEDICINA ET CHIRVURGIA  
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

DIE IV. APRILIS ANNI MDCCXCV

AVCTOR  
CAROLVS IOANNES CHRISTIANVS  
GRAPENGISSER

PARCHIMO - MEGAPOLITANVS  
SOCIET. PHYS. PRIVAT. GOTTING. SODAL. ORDINAR.

Marb. Jun. 1341

GOTTINGAE  
TYPIS IO. CHRIST. DIETERICH.

4160.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

DE

HYDROPE PLEURIS

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

CONSERVANDIS ET CURANDIS

In magnis, et voluisse sat est.

ACADEMIAE GEORGII AUGUSTI

Causa latet, vis est notissima.

OVID.

CAUSAE PLEURIS

SYMPTOMATA

IN

EDITIONE ET CURA

HONORABILIS AC TITULI

RECTORIS ET CANCELLARII

ACADEMIAE GEORGII AUGUSTI

DIE IV. APRILIS ANNI MDCCCLXV

ACTO

ALBERTO JOHANNES CHRISTIANUS

GRADUUS

PHYSICUS

ACADEMIAE GEORGII AUGUSTI

EDITIO

ALBERTO JOHANNES CHRISTIANUS

VIRO ILLVSTRI  
INGENIO MERITIS DOCTRINA  
ET EXPERIENTIA CELEBERRIMO  
AVGVSTO THEOPHILO  
RICHTERO

MEDICINAE ET PHILOSOPH. DOCTORI, AVGVSTISS.  
MAGN. BRITANN. REGIS ARCHIAT. ET CONSILIARIO  
AVLICO, MEDICINAE PRACTICAE ET CHIRVURGIAE  
P.P.O. IN ACAD. GOTTINGENSI, COLLEGII CHIRVURG.  
GOTTING. PRAESIDI, NOSOCOMII PVBL. ACADEMICI  
DIRECTORI, PRINCIPATVS GOTTINGENSIS PHYSICO,  
SOCIET. REG. GOTTINGENSIS, ACAD. REG. SCIENT.  
SVEC., ET SOCIET. MED. HAVN. ET EDINBVRG.

MEMBRO

PRAECEPTORI

SVMMA SEMPER PIETATE VENERANDO

HOC QVALECVNQVE OPVS

OB TOT TANTAQVE

COLLATA IN SE BENEVOLENTIAE ET FIDVCIAE

TESTIMONIA

PRAESERTIM

OB VTILISSIMAM QVA IN NOSOCOMIO PVBLICO

IN CVRIS AGENDIS VSVS EST

INSTITVTIONEM ET MANVDVCTIONEM

IN ANIMI GRATISSIMI DEVOTISSIMIQVE TESSERAM

OFFERT



NEC NON

VIRO CELEBERRIMO

DOCTISSIMO LONGE DEVENERANDO

CHRIST. DAN. EBELING

PROFESSORI GYMNASII QVOD HAMBVRGI FLORET

IOHANNEI, NEC NON INSPECTORI ACADEMIAE

MERCATORIAE ETC.

FAVTORI ET AMICO

HOC EXIGVVM ADDICTISSIMI

ANIMI MONVMENTVM

SACRVM ESSE VVLT

A V C T O R .

1773

VIRI CELESTES

DOCTORES

CHRISTIANUS

PROFESSOR

PHILOSOPHIAE

ET

FAVORI ET AMICO

HOC

LIBRUM

DEDIT

1773

---

# De Hydrope Plethorico.

## §. I.

### *Introductio.*

**I**n morborum illo agmine, quo corpus humanum, praesertim versus finem eius itineris per vitam afficitur, grauissimus ille, et in nostra globi parte frequentissimus, Hydrops, numerandus est; tam ob summam varietatem et differentiam caussarum, quam ob difficultatem explorationis, et pertinaciam in remotione et cura. — Haud inutilem igitur laborem suscepisse spero, si pauca de causa quadam et specie propria disseram, quae in praxi non raro occurrere et raro agnosci solet; — dico *hydropem a plethora ortum*, — morbum maxima attentione dignum. Sane vero haud leuem laborem suscepi; cum enim morbus solum in singulis exemplis, valde inter sese

diuergentibus, obseruatus est, qui et hic et illic, titulo "*hydropis venaesectione curati*" occurrunt, atque nil nisi monita singula, imperfecta, nimis generalia, et non satis definita, vna cum magna cautelarum copia de eo referri solent, haec hydropis causa et medendi methodus nimis parum fidei apud medicos inuenit. Sic etiam ex consuetudine inueterata, in natura et indole caussarum huius morbi, semper relaxationes, obstructiones, et infarctus supponuntur, et summa fiducia in remediis resoluentibus, incidentibus et discutientibus ponitur. In morborum chronicorum et praecipue hydropis medela, saepius fortunatiores succederemus, si in disquisitione caussarum magis circumspiciamus. — Operam summam dabo, pro temporis angustia, et prout humeri valent, ex obseruationum et monitorum copia, historiam morbi conscribendi, et eius phaenomena peculiaria cum diagnosi et caussis euoluendi, ex quarum indole, methodus curandi simplicissimus patet.

§. 2.

*Obseruatores morbi.*

Iamiam apud antiquissimos medicinae parentes, ipsumque Hippocratem multa exstant  
loca,

locā, vbi summa cum laude mentio fit venae-  
 sectionis in cura hydropis administrandae.  
 Ita HIPPOCRATES a), haec habet: “si hydro-  
 picus difficulter spirauerit et tempus vernum  
 fuerit, et simul aetas viguerit, et virium  
 robur adsit, de brachio sanguinem detrahere  
 oportet;” sic etiam ALEXANDER TRALLIANUS b),  
 PAULUS

a) HIPPOCRATES *de ratione victus in morbis acutis*;  
 in Opp. edit. a STEPH. MACKIO. Vienn. 1749.  
 Tom. II. p. 132. ait:

„Ἦν δὲ δυσπνοοῦς εἴη, καὶ ἡ ὠρὴ εὐαρινὴ εὐοσχεῖ τυχῆ,  
 καὶ ἡλικίᾳ ἀκμαζῆ, καὶ ῥωμῆ, ἀπο τοῦ βραχίου  
 αἷμα ἀφαιρῆεν.

b) ALEXANDRI TRALLIANI *per excellentis medici, de  
 singularum corporis partium, ab hominis coronide  
 ad imum usque calcaneum, vitiis, aegritudinibus,  
 et iniuriis. Libri ad vnguem facti V. Albano  
 Torino Vitodurens. interprete. Basileae, 1533.  
 Lib. III. Cap. XXX. pag. 229. ita disserit: “Hydro-  
 pem anasarcam per venae sectionem curare, quan-  
 doque opus est; si iecur non solum, sed et  
 lien ac ventriculus tumorem ac duritiem habeat,  
 confidenter educ per exiguas missiones sangui-  
 nem, tantoque id magis, si vires non prohi-  
 beant, et copia sanguinis in venis manifesta,  
 et aegrotus in flore aetatis constitutus sit, nec  
 tempus anni magnum frigus afferat.”*

PAULUS AEGINETA *c)*, et EBN SINA *d)*, hoc dictum, pluribus verbis, sed cum data aliqua conditione confirmant; — inter recentiores FABRICIUS *e)*, WILLIS *f)*, SPONIUS *g)*, FRID. HOFF-

*c)* PAULLI AEGINETAE *totius rei medicae* Lib. VII. latina lingua conscripti per JANUM CORNARIUM. Basileae, 1556. Lib. III. Cap. 48. p. 122. “Cu-  
 „rantes initium facimus in anasarca ab euacua-  
 „tione per venaesectionem, maxime si ob hae-  
 „morrhoidum, aut menstruae purgationis suppres-  
 „sionem, conflata fuerit affectio.”

*d)* EBN SINAE *Arabum medicorum principis Canon Medicinae*. Lib. III. Fen. 14. Tract. 4. Cap. 3. p. 785. — “Quumque hydropicus conqueritur,  
 „de latere sinistro multarum arteriarum, tunc  
 „non est eius quaerimonia propter tensionem,  
 „quae fit in ipso, nam ambo latera communicant  
 „in hoc, immo illud est propter sanguinem,  
 „Phlebotometur ergo in primis; deinde curetur  
 „cura hydropisis.”

*e)* GUILH. FABRICII HILDANI *Observ. et Epistolae chirurg. med.* edit. a HENNINGERO. Argentorati, 1717. Pars I. p. 646. Cent. 1. Observ. 50.

*f)* WILLISII *Pharmaceut. rational.* P. I. Sect. VII. Cap. I.

*g)* SPONII *Aphorism. nov.* Sect. V. Aphor. 81.

- hoc  
liqua  
iores  
FRID.  
OFF-  
o. VII.  
RIUM.  
"Cu-  
macua-  
hae-  
ppres-  
Canon  
ap. 3.  
eritur,  
tunc  
onem,  
nicant  
inem,  
retur  
stolae  
orati,  
t. VII.
- HOFFMANN *h*), MONRO *i*), MEAD *k*), FORDYCE *l*),  
LAWRENCE *m*), SAUVAGES *n*), BACHER *o*),  
PORTE
- h*) FRID. HOFFMANN *Opera omnia phys. med.* Genev.  
1740. Tom. III. p. 332. Cap. XIV. De Hydrope.
- i*) DONALD MONRO *Essay on the Dropsy, and its  
different species.* Edit. 3. Lond. 1765. p. 41. Not.  
ad §. 26.
- k*) MEAD *Monita et praecepta medica, permultis  
notation, et obseruat. a CLIFTON WINTRINGHAM.*  
Tom. II. Londini, 1773. p. 23.
- l*) FORDYCE *in Abhandlungen für practische Aerzte.*  
*Band II.* p. 486.
- m*) THOM. LAWRENCE *Diss. de Hydrope.* Lond. 1756.
- n*) SAUVAGES *Nosolog. methodica.* Amstelod. 1768.  
Tom. II. p. 504. 13. *Ascites calidus* — "Non in-  
„frequenter occurrit in praxi species ascitis, quae  
„largo potu, sero lactis, sanguinis missione, fe-  
„liciter tollitur, contra vero solitis aliis artibus  
„exacerbatur. — Vidimus hydropem curatum vi-  
„ginti venaesectionibus, qui ab exhibitis hydra-  
„gogis et diureticis, cuiusuis generis, magis ac  
„magis intumuerat."
- o*) BACHER *Recherches sur les maladies chroniques  
particulierement sur les Hydropisies, et sur les  
moyens de les guerir.* à Paris, 1776. 8. p. 172.  
193. 446. 450.

PORTE *p*), DUTIL *q*), BETBEDER *r*), BALME *s*),  
 STOLL *t*), MEDICUS *u*), FRANCK *v*), modo  
 morbum a consuetis plethorae caussis ortum,  
 pulsu duro, pleno, inflammatorio, et inter-  
 dum symptomatibus topicis, inflammatoriis  
 coniunctum, venaesectionibus persaepe repe-  
 titis, et methodo antiphlogistica sanatum;  
 modo pulsu paruo, et sine omnibus sympto-  
 matibus

*p*) PORTE, *Journal de Medecine*. de l'année 1759,  
 Tom. XI. p. 20. Observation sur une hydropisie  
 ascite, heureusement terminée par dix saignées et  
 l'usage de l'Opium.

*q*) et *r*) DUTIL et BETBEDER dans le *Recueil d'Ob-  
 servations de Medecine des Hopitaux militaires*;  
 redigé par Mr. Richard de Hautesierck. Paris,  
 1772. Tom. II. p. 418 sqq.

*s*) BALME in *Sammlung auserles. Abhandlungen für  
 practische Aerzte*. Band 13. p. 525 sqq.

*t*) STOLL *ration. medendi*. Tom. III. Vienn. 1780.  
 p. 302 sqq.

*u*) MEDICUS *Sammlung von Beobachtungen aus der  
 Arzneywissenschaft*. Zürich, 1776. p. 383.

*v*) FRANCK *de curandis hominum morbis*. Manhemii  
 1792. Tom. II. Lib. de Inflat. p. 10 et 20. cuius  
 methodum etiam GAUTIERI *Tyrolensium Caryn-  
 thiorum Styriorumque struma*. Vindobonae, 1794.  
 8. p. 87 describit.



matibus causam indicantibus, ita vt diagnosis non prius, quam post mortem, et sinistro euentu, aut haemorrhagia spontanea critica fieri potuerit, obseruarunt. Ceterum adhuc CULLEN *w)*, plethorae, vt causae hydropis, paucis verbis mentionem facit; illum vero casum, quem HOME *x)* tradit, ad complicationem hydropis cum febre inflammatoria pertinere censeo; ibi erat venaesectio saepissime repetita vnica via salutis.

§. 3.

*Morbi denominatio atque diuisio.*

Obseruatorum illi attenti, qui morbum non semel viderunt, vario modo denominarunt. Ab aliis

*Hydrops calidus y),*

*Hydrops acutus z),*

*Hydrops plethoricus a),*

A 5

*Hydrops*

*w)* CULLEN'S *first lines of the Practice of Physic.* Vol. IV. p. 257. §. 1655.

*x)* FR. HOME *Clinical Experiments, Histories and Dissections.* Lond. 1782. p. 374 sqq.

*y)* SAUVAGES l. c. p. 504.

*z)* FRANCK l. c. p. 16. 20.

*a)* STOLL l. c. p. 300.

*Hydrops inflammatorius b)*, ab aliis,  
*Febris hydropica c)*

vocatus est; — alii, quibus rarius occurrit, morbum vt miraculum contemplantur, quod denominare non audent; — mihi autem, omnes has observationes varias et valde vna ab altera differentes, in maximis et primariis vero inter se congruentes, perscrutanti, distinctissime character duplex elucere, et morbus duplici facie externa se repraesentare videtur. Interdum scilicet luculenter modificatio inflammatoria patet, vbi saepius febris, et inflammatio topica morbum comitatur; interdum vero caussa et natura morbi ita in occulto latet, vt diagnosis adhuc vel numquam, vel post mortem, vel raro, nisi vi naturae Haemorrhagia critica interuenisset, fieri potuerit. Enimvero huius morbi historiam conscribendi mihi impossibile erit, nisi licitum sit, duos status determinare, et tanquam duas subspecies constituere, in quas morbus inter contemplationem sponte dilabitur. Veniam mihi hanc, cui nil auctoritatis est,

b) BACHER l. c. p. 198. 204.

c) MEDICUS *Kurze Lehrrätze von den Entzündungsfiebern und derselben Kurart. Frankf. u. Leipz. 1762. p. 37.*

est, maxima qua par est, timiditate expeto. —  
 Perspicue eminet alter status, quem 1) *Hydropem plethoricum acutum*, circiter idem  
 quod apud BACHERUM d) "*hydropisie par  
 plethore et tension*," est, et alter, quem  
 2) *Hydropem plethoricum chronicum seu sup-  
 pressum*, BACHERI *hydropisie par plethore  
 et relachement*," nominare audeo.

#### §. 4.

##### *Historia hydropis plethorici acuti.*

(Hydropisie par plethore et tension. B.)

Morbus solum corporibus robustis, aeta-  
 tis florentis, et bene pastis, iuxta paene omnes  
 observationes proprius est e); aegroti non  
 raro fabri ferrarii et ligniarii erant; rarius  
 minus vigentes inuadit; ab initio saepissime  
 asthmatis assumit characterem, et saepius iam  
 antea aegroti, affectione quadam pectoris aut  
 eius inflammatione laborarunt f). Paullo  
 post respiratio inter gradiendum laboriosa et  
 difficilior fit; aeger dyspnoea, insomniis, de-  
 cubitu

d) BACHER l. c. p. 10 sqq. 70. 71 sqq.

e) STOLL l. c. p. 301 sqq. BETBEDER l. c. p. 420.

f) HOFFMANN l. c. p. 338. STOLL l. c. p. 303. 308.  
 310. BACHER l. c. p. 193. MEDICUS l. c. p. 383.

cubitu supino impossibili, nocturna in primo somno excitatione cum suffocationis metu, aliisque angitur; sic *hydrotorax plethoricus* se manifestat, species hydropis plethorici frequentissima, atque *hydropi intercuti* et diffuso per totum corpus, plerumque praegrediens g). Interdum vero hydropis pectoris loco, vomitus chronicus primum apparet, quem demum crurum et femorum intumescencia insequitur. *Ascites plethoricus* rarior, sed tamen observatus est h).

Pulsus plenus, durus, fortis, interdum vibrantissimus, hanc morbi speciem per totum suum decursum comitatur; si vero nimia extensione cruoris, et humorum abundantium, vasa totius corporis relaxata sunt, tunc, quamvis adhuc amplissimus, tardus fieri incipit. Urina parca et lateritia; dolores totius corporis, praecipue ventris et lumborum; oculorum fulgor; facies subtumefacta; appetitus prostratio; tussicula moderata paucum subinde gluten elicit; purgantia et diuretica nunquam prosunt, quin urinas potius parciores, et

g) Omnes observatores l. c.

h) PORTE l. c. CARTHAN in *Hautesierck Observations des hopitaux militaires*. Tom. II. p. 422.  
DUTIL l. c.

et tumorem tensiorem reddunt. Saepissime hic noster hydrops phlogosin concipit, et aeger ab initio inflammatione topica admodum graui, et febre non exigua corripitur. Inde oritur hydrothoracis cum peripneumonia connubium; an vterque morbus a communi quadam causa nascatur, aut alter ab altero, (quod plerumque fit) tamquam effectus a sua causa dependeat, infra potius disquisituri sumus; nonnunquam vero sane inflammatio pectoris praecedit, ex qua hydrothorax nascitur *i*); quin ascitem et anasarcam e pleuritis et peripneumonia ortam obseruauit *k*).

Sanguis detractus semper crustam pleuriticam efformat, et omnis venaesectio cum aequali magno leuamine administratur, ita vt respiratio statim liberior fiat, et aeger supinus, et in quodcunque latus decumbere possit.

Si in peruersa methodo medendi communi perseueratur, morbus speciem praebet terribilem; tumor corporis ad diruptionem increscit; omni latere dolores vehementissimi; se- et excretiones plane cohibitae sunt; febris cum calore assiduo, et siti intolerabili nunquam

*i*) MEDICUS l. c. p. 383. STOLL l. c. p. 303. 308.

*k*) CARTHAN l. c. DAIGNAN eodem loco p. 380.

quam remittit, sed vesperi adhuc intensior est; respiratio ferme prorsus cessat; tunc adhuc tussis catarrhosa, assidua, noctu grauior et modo ferme suffocans accedit *l)*, qua adhuc oppressio et orthopnoea aegroti cubantis ita augetur, vt e lecto exsilire, et per cubiculum ambulare debeat, ne suffocetur; vltimis temporibus, cum sputis mucosis, sanguinolenti aliquid excutit aeger, per vices aliena loquitur, et nonnumquam repente conuulsus et apoplecticus perit.

Totius morbi decursus in vniuersum, at praecipue, cum primum tumor se manifestavit, breui tempore terminatur.

### §. 5.

#### *Historia hydropis plethorici chronici seu suppressi.*

[Hydropisie par plethore et relachement *m)*].

Hic morbus, symptomata peculiaris admodum pauca habet, vt eius diagnosis interdificillimas numeranda sit, — Oritur vel *secundario* ex hydrope plethorico acuto, minus viginte, a causa minus inflammante orto, et neglecto,

*l)* MEDICUS l. c. p. 384.

*m)* BACHER l. c.

neglecto, qui interdum, si methodo medendi semicongrua vexatur, et conueniens diaeta obseruatur, pulsum tardiozem atque suppressum reddit, ita vt morbus in plethoricum chronicum transeat; — vel *primario*, si plethora, corpora laxiora, spongiosiora, valetudinaria, debilitata, vitam sedentariam degentia et grandia natu obsidet.

Ideo morbi haec species, circa annum quinquagesimum euolui solet, et in foeminis praesertim tunc, si fluxus menstruus plane cessat; sic BALME *n*) hunc hydropem perfectissimum in vetulis labore et sollicitudinibus emaciatis et exsiccatis, monachisque sexaginta ad septuaginta et quod excurrit annorum, per totam vitam continuo circumsedentibus, libenter et multum cibi capientibus, et male digerentibus obseruauit; — sed etiam in foeminas aetatis minoris, si grauidae sunt *o*), et in puellas, si fluxus menstruus ex quacunque causa obstruitur, morbus cadit.

Saepissime aegroti iam per quoddam tempus antea, infirma atque incommoda valetudine

*n*) *Abhandlungen für practische Aerzte. Band 13.*  
p. 518. 519. 527.

*o*) BACHER l. c. p. 176.

dine laborauerunt, quam remediis cardiacis, stomachicis et roborantibus, causam mali adhuc augentibus restituere studuerunt. Denique status hicce valetudinarius vniuersalis increscit, appetitus prorsus abolitur, et saepe taedio inuincibili omnium ciborum afficiuntur; abdomen gradatim intumescit et durum fit; facies cum colore cachectico, interdum liueo et lurido subtumescit; oculi languescunt; aluus adstricta, rara, difficilis; meatus aegro propter pondus pedum valde molestus; et sic etiam in hac specie, respirandi difficultas, atque dyspnoea vna cum oedemate pedum, crurum, atque lumborum sese manifestare incipit. — Vrina parca, lateritia, nonnunquam ferme nulla. Vires vel admodum fractae, vel adhuc subuigentes sunt. Pulsus, quamuis aequalis, ita paruus, suppressus, atque profundus est, vt vasa paene inania esse videantur, interdum tamen etiam frequens et alacris fit. Nonnulli in decubitu supino, statim valde erubescens cum oculorum splendore et rubore, praecipue de congestione ad caput queruntur *p*).

Tumor tunc denique per totum corpus diffunditur, morbus cum omnibus symptomatibus

*p*) BACHER l. c.



matibus increfcit; excretio vrinae prorsus fere cessat; diuretica et hydragoga *fortiora* nullum, *antiphlogistica* parcum praebent successum; respiratio difficilis in orthopnoeam transit, et venaesectione, quamuis adhuc rarissime instituta, valde leuatur. Sed vis naturae summe benignae vltimo hoc tempore morbum et medicum, caussam haud agnoscentem et perverse tractantem, nonnunquam haemorrhagia narium critica *q)* vincit; interdum vero mors conuulsiua et apoplectica insequitur *r)*.

Criseos nondum alia species, nisi haemorrhagia narium *s)*, haecce vero saepius enor-

*q)* BALME l. c. p. 519. 521.

*r)* BALME l. c. p. 526. 529.

*s)* Inter noxas quae ex vsu nicotianae sternutatoriae oriuntur, etiam illa, qua haemorrhagiae narium criticae in sanandis morbis acutis impedimento est, nominari debet. BALME saepe omnia signa haemorrhagiae ad salutem aegroti imminentis obseruauit, quae praeter suam expectationem et prognosin non proueniebat. Hocce incommodum, fomentationibus emollientibus et irritatione leui mechanica amouere frustra tentabat; sic etiam in hoc hydrope secundum suas obseruationes, omnes a puluere hoc grassante abstinentes crisi per nares sanabantur, qui illo autem utebantur, perierunt.

enormis observata est. Interdum per maiorem noctis partem perdurabat, vt pulsus ferme prorsus evanesceret, aegroto animi deliquium immineret, et ope medico sistenda esset; verum etiam in tali casu, post aliquot horas mirifice pulsus plenior, durior, fortior, ferme vt in febre feriebat; iam inter haemorrhagiam cum magno leuamine mingebant, et sine interruptione, donec totus tumor disparuerit, continuabant. Si febrem haemorrhagia relinqueret, quod saepius contingit, sanitas adhuc velocior et breuiori tempore recuperabatur.

In sectionibus cadauerum, haec ad naturam morbi pertinentia inueniebantur: collectiones aquosae per totum corpus, et praecipue in thoracis et cranii cavitatibus; vasa praegrandia, sanguine turgida, et multo cruore distenta; post speciem acutam subinde inflammationes non exiguae t).

### §. 6.

#### *Morbi Aetiologia.*

##### *Causa proxima.*

*Plethora tam vera quam spuria, ex quacunque causa orta, semper aequilibrium in*

oeco-

t) STOLL l. c. p. 305. 307.

oeconomia animali turbat, circuitum humorum abundantium caeteroquin bonorum laboriosum reddendo hydropem gignere valet.

*Causae praedisponentes.*

*In hydrope plethorico acuto*, non aliae, nisi robustus habitus corporis; et si vis, appetitus bonus, digestio bona? nimia sanguificatio, venaesectio consueta intermissa.

*In hydrope plethorico chronico*: Habitus corporis laxior, spongiosior; aetas prouectior; appetitus bonus, digestio mala; vita sedentaria; ideoque morbus creberrime in monasteriis obseruatus est *u*).

*CAUSSAE PROCATARCTICAE.*

A) *Hydropis plethorici acuti.*

1) *Haemorrhagiae suetae suppressae*: Fluxus menstrui, s. haemorrhoidum suppressio; fluxus autem vel *suppressi* vel *obstructi* et *intermissi* varia est ratio; *venaesectio consueta et intermissa* in hac specie acuta plerumque solum causa praedisponens esse solet; sequelae verum cuiusuis haemorrhagiae *suppressae*, multo magis acuminis habent, et saepissime inflammatoriae indolis sunt.

B 2

2)

*u*) BALME l. c. p. 518. 525. PORTE l. c. p. 70.

2) *Inflammationes partium internarum v).*

III. FRANCK w) hydropem acutum inter exitus inflammationis enumerat; nam cum inflammatio partem internam occupauerit, interdum loco puris copiosum serum in cauo, quod illam circumdat, promptissime accumulatur, oriturque hydrops, quo dolores ac inflammationis symptomata disparent; saepissime hoc in cauo pectoris et pulmonum inflammatione accidit; — interdum etiam sanguis ipse copiosus, aut in cauitatem, aut in ipsam visceris cellulosa effunditur. — Si cutis superficiem occupauerit inflammatio: tunc eadem cessante contingit *desquamatio*, quam saepe collectio humoris serosi in paruis vesicis praecedat. — *Acuta* inflammatio tunc quidem dispergitur, sed *chronica* cum *febre* penitus necdum profligatae succedit.

3) *Exanthemata retropulsa*, v. c. scabies retrogressa x) et

4) *Refrigeratio* \*) s. *Transpiratio cutanea*, praecipue critica, suppressa.

Huc

v) STOLL l. c. p. 303. 309 sqq. MEDICUS *Beobacht.* pag. 383.

w) *De curand. hominum morb.* l. c.

x) MEDICUS l. c.

\*) MONRO l. c. p. 42.

Huc pertinent *hydropes calidae indolis post febrem scarlatinam*, e turbata crisi, quos BURSERIUS  $\gamma$ ) eximie describit. Experientia scilicet demonstraui saepissime, resoluta purpura scarlatina, desquamata iam epidermide, aegros e morbo conualescentes, si regimen diaphoreticum negligant, aut aeri libero, aut frigidiusculo incaute sese obiiciant, aut non perfectam crisin habuerint, modo repente, modo post aliquot temporis, incidere in alia grauissima mala, creberrime vero in *hydropem*. Hicce hydrops, duplicis naturae esse solet, alter frigidus, alter calidus, sed hic vero frequentior; quae differentia notari maxime debet, vt curatio diuersae eius naturae accommodari possit. — Primi qui hanc perutilem veramque differentiam animaduertuerunt, videntur fuisse Medici Florentini  $\zeta$ ), qui febrem scarlatinam Florentiae circa annum 1717 epidemicam obseruarunt; *hydropem plethoricum*, quem *acutum* nominare ausus sum, titulo *oedematis calidi*, quod semper venae-sectione iterata feliciter soluebatur, egregie et perfectissime describunt.

B 3

Neque

$\gamma$ ) BURSERII *Institutiones medicinae practicae*. Lipsiae, 1787. Vol. II. p. 82.

$\zeta$ ) *Accisi sopra la salute umana*. Vol. III. p. 262.

Neque in illa tantum epidemica constitutione, sed ad hodiernum vsque diem, *hydrops plethoricus* febrim, et nonnumquam inflammationem pulmonum comitem habens, saepissime febrem scarlatinam insequitur, qui alias lethiferus fit, nisi sanguinis missione, methodo antiphlogistica, nitro, opio, temperantibus et subacidis medicamentis oppugnatur.

Frigidum oedema post febrem scarlatinam huc non pertinet.

5) *Dysenteria suppressa a).*

B) *Hydrôpis plethorici chronici.*

Raro hic morbus e causa procatartica luculenta nascitur; sed saepius ex valetudine longe iam infirma atque incommoda status ille valetudinarius vniuersalis sensim prouenit, qui etiam modo obseruatu difficili in hydropem transit. Interdum vero tamen *haemorrhagia* quaedam *obstructa* s. *intermissa* praecedit; saepissime fluxus catamenialis sensim imminutus et obstructus, et venaesectio intermissa: quae in hoc casu chronico, prout vires corporis plus aut minus valent, vel pro causa procatartica, vel pro praedisponente haberi potest.

Sed

a) STOLL l. c. p. 300.

Sed etiam mihi persuasum habeo, in corpore valde laxo, debili, et inerto, et haemorrhagiae cuiusdam *suppressionem* nil nisi hydropem plethoricum chronicum gignere posse.

§. 7.

*Genesis morbi.*

*Ex Plethora vera* vario modo explicari potest. Alii et SAUVAGES calore exsuperante morbum semper comitante sanguinem fundi, liquari, et paene totum in serum conuerti, putauerunt. — Sed haec explicatio minime mihi placet, et rei non solum parum conueniens, sed genesis ista etiam impossibilis videtur. Verisimilius est, vasorum sanguiferorum nimiam impletionem atque distensionem vasa lymphatica comprimere, et resorptionem seri et vaporum exhalantium e cavitatibus corporis et tela cellulosa impedire. QUARIN *b)* hunc hydropem a tumore venarum ortum in nosocomio Vindobonensi se obseruasse asserit. STOLL *c)* vero ingenuose morbum e distensione vasorum sanguiferorum a cruore nimio,

B 4

et

*b)* In GAUTIERI *Tyrolensium, Carynthiorum, Styriorumque Struma*. Vindobonae, 1794. p. 57.

*c)* STOLL l. c. p. 301.

Sed

et facili dimissione et extrusione aquosae portio-  
 tionis, per ostiola lateralia secretoria, et de-  
 missae partis difficili receptione deriuat; ad  
 illustrandam exemplo hancce explicationem  
 hydrope vtitur crurum, femorum atque pu-  
 dendorum, qui vltimo grauiditatis tempore a  
 compressione venarum iliacarum, et inde nata  
 plethora topica atque abundantia humorum  
 in artubus inferioribus oboriri solet. "Sic"  
 ait: "*plethoricis columna cruoris maior, quam*  
*„quae apte contineri vasis possit, et expedite*  
*„ad cor reduci, hydropem gignit."*

GAUTIERI *d)* in vniuersum hydropis ge-  
 nesin *per secretionem vasorum minimorum ex-*  
*halantium, non vero a vasorum lymphaticorum*  
*proprio morbo, ingenue demonstrat, argu-*  
*mentis, vt videtur, firmis suffulcit, et hanc*  
*theoriam pro vnica vera habet.*

Quin *chlorosis ipsa, quae ex plethora e),*  
 a suppressione mensium orta, saepius occur-  
 rit, et praecipue in puellis rusticanis, et duro  
 labore exercitatis obseruatur, bene ab aliis  
 chloroseos speciebus distinguenda est; nam  
 natura huius mali saepe latet, in quo inflam-  
 mationes sunt facillimae, licet occultae, et  
 ardue

*d)* l. c. p. 73.

*e)* STOLL l. c. p. 302.



ardue agnoscendae. — In hac chlorosi remedia consueta semper nocuerunt, profuerunt; ad autem, vt in hydrope nostro, phlebotomiae moderatae, et antiphlogisticus victus.

Si plethora nullo irritamento turbatur, et caussis perdurantibus adhuc augetur, nonnunquam in *suppressam* abit, et hydropem plethoricum *chronicum* gignit. Saepissime vero, et quidem irritatione leuissima, plethora *spuria* et *commota* fit, quae hydropem plethoricum acutum procreare solet.

*Ex plethora spuria et commota* genesin hydropis deducere, multo facilius est, et partim iam ex paulo ante dictis patet; nam *irritamento* accedente non solum sanguis abundans rarefactus, circulatio accelerata, et secretio praeternaturalis aucta est, sed etiam vasa lymphatica eo affici, in functione turbari possunt, et sic disproportionis secretionis et *resorptionis* augetur. — Genesis *hydrothoracis* ex *inflammatione pulmonum* quoque ex his principiis euolui potest. Omnis enim inflammatio modica, si organon secernens occupat, functionem eius auget. In inflammatione pulmonum multum seri cum aliqua lympham coagulabili ex eius superficie secernitur,

et post resorbitionem aquosae partis ex remanente lymphâ coagulabili illae pseudomembranae efformantur, quibus pulmones cum pleura coalescunt; si vero totum corpus plethora laborat, et circulatio in cauo pectoris, caeteroquin viuiddissima, inflammatione sufflaminata est, pulmones maxima accumulatione humorum et plethora topica afficiuntur, et accedente adhuc compressione respirationis, e vasis exhalantibus tanta copia seri extruditur et circa viscus colligitur, vt nullo modo resorberi possit; succedunt ideo rapidissima hydrothoracis phaenomena, quibus febris necdum penitus profligatae signa consociantur.

Sed cur hydrops, praesertim a catameniorum suppressione et obstructione ortus, semper a pedibus incipit? Plethora etiam hic maxima ex parte in caussa esse videtur: nam ob impeditam vterinorum vasorum depletionem, proin sanguis demandatur crurali arteriae, qui per vterum exire debuisset: crescit inde sanguinis copia, quae inferiores magis proluit partes; hinc arteriae magis secernunt. Inertia et laxitas partis, defectus motus, et situs perpendicularis valde conferunt ad retardandum venosi sanguinis circulum: nam primo et  
prae-

praecipue semper regio circa malleolos afficitur, in planta et digitis pedum vero rarissime observatur.

§. 8.

*Diagnosis morbi.*

In totius morbi decursu nihil difficilius, nihil grauius occurrere potest, quam diagnosis caussae et naturae morbi, praecipue in specie chronica. In morbo acuto multo facilius est, ita vt hunc casum manifestum, morbum chronicum casum occultum denominare possimus. In binis his morbis signum pathognomicum nullum exstat. Symptomata illa adhuc recapitulabo, quibus pro signis vti possimus.

In *hydrope plethorico acuto s. casu manifesto*: robustus habitus corporis; aetas florens *f)*, inflammatio praegressa, et paullo post respiratio laboriosa, cum decubitu supino impossibili et suffocationis metu *g)*; *pulsus plenus, durus, fortis*, interdum vibrantissimus; tumoris tensio, ita vt impressionem digiti non assumat.

*f)* STOLL l. c. p. 301. 303. 305. MEDICUS l. c. p. 383.  
BETBEDER l. c. p. 450.

*g)* STOLL l. c. pag. 309. 310. 313. MEDICUS l. c.  
MONRO l. c. p. 43 sqq.

assumat. Vrinam parcam, lateritiam purgantia et diuretica, nisi antiphlogistica, adhuc parcio-rem reddunt. Febris; symptomata inflammationis topicae; venaesectionis exploratoriae cum magno leuamine institutio; in sanguine detracto crusta pleuritica; tussis assidua, nocturno tempore ferme suffocans.

*In hydrope plethorico chronico s. casu occulto:* Aetas circa annum quinquagesimum, vbi in foeminis praecipue catamentialis fluxus cessat; menstrua suppressa s. obstructa; venaesectio intermissa; vita sedentaria; appetitus cibi bonus; pulsus nullum signum praebet, nam paruus, profundus atque suppressus est; respirationis difficultas atque Dyspnoea vna cum oedemate pari passu increscit; nonnulli in decubitu supino cum oculorum splendore statim valde erubescunt. — Defectus omnium aliarum caussarum, hydropis alias species gignentium; deprauatio et augmentum morbi a methodo medendi vulgari, et vniuersa sufflaminatio secretionis vrinae usu diureticorum atque purgantium; venaesectio exploratoria, quae in hoc casu dubio semper summo iure, et sine omni difficultate instituenda est, cum magno leuamine; signa haemorrha-

rgantia  
 c par-  
 nflam-  
 toriae  
 guine  
 a, no-  
 casu  
 imum,  
 fluxus  
 ; ve-  
 ppeti-  
 prae-  
 ressus  
 pnoea  
 ; non-  
 splen-  
 fectus  
 s alias  
 gmen-  
 ri, et  
 e usu  
 e sectio  
 emper  
 insti-  
 a hae-  
 orrha-

morrhagiae narium imminentis, et usu pul-  
 veris sternutatorii impossibilis: e. gr. Pulsus  
 dicrotus, carotidum pulsatio; caligo oculorum,  
 scotoma, rubor oculorum, lacrymae vltroneae,  
 stillicidium narium aquosum, sternutatio, at-  
 que pruritus incredibilis indeque oriunda scal-  
 pendi cupiditas, tum maxime, si aeger aetate  
 florente est, et aestate in morbum incidit *h*).

Vterque hic status singulatim, et in ex-  
 tremam perfectionem descriptus, ut diagnosis prae-  
 sertim posterioris pura reddatur, in praxi  
 saepissime confluens, et alter in alterum trans-  
 iens occurrit; saepe symptomata alia unius  
 generis, et alia alterius generis coniuncta ob-  
 servantur.

### §. 9.

#### *Prognosis morbi*

in uniuersum, atque respectu et causae  
 et medelae bona est; nam in venaesectionibus  
 et antispasmodicis positum est magnum my-  
 sterium, quo talem hydropem sanare possu-  
 mus; vero omnia vertuntur in diagnosi. —  
 Si haecce pura est, et patet, optime de morbo  
 est

*h) GRUNERI Semiotice physiologicam et pathologicam  
 generalem complexa. Halae. Magdeburg. 1775.  
 p. 495 sqq.*

est iudicandum. Hinc sequitur prognosis peior, in hydrope plethorico chronico, licet acumen maius sit in specie acuta; nam illius diagnosis inter difficillimas in omnium morborum agmine numeranda est.

Verum tamen si acumen morbi ad summum gradum vsque auctum, et aeger vna cum hydrope saeuissima inflammatione correptus est, connubium horum morborum periculosius fit, praesertim si plethora, irritamento pertinaciori e. gr. exanthemate quodam retropulso, admodum commota est, et omnino de morbo est male sentiendum.

Sic etiam hydrops post febrem scarlatinam plethoricus, ob crisin imperfectam, et turbatam, anceps et periculosior est.

Thesis est antiqua, quae inter prognoses speciales de hydrope in genere refertur: „Sine spe sunt, qui tussiunt, praesertim si tussim conuulsiuam habent, quorum nemo conualescit; desperatus morbus est, vbi orthopnoea accedit.” Suspikor auctorem huius thesis, saepius se in scio, hydropem plethoricum obseruasse, causam non cognouisse et morbum peruerse tractasse, nam symptomata principalia hydropis nostri ex ea eminent.

## §. 10.

*Methodus medendi.*

Explicatis iis, quae morbi historiam, diagnosin et causas spectant, de medela eiusdem dicendum nunc restat. Sed de hac illa adhuc potius valent, quae de morbo in genere diximus; nihil integri et definiti, sed solum singula monita imperfecta de ea exstant; praecipue cum hucusque, saepissime causa nimis sero detecta, venaesectio nimis sero instituta, et morbus euentu sinistro terminatus sit. Quum *plethora uniuersalis*, in alia specie vera et saepe *suppressa*, in alia etiam, quamuis vera, sed saepius adhuc *com-mota et rarefacta* causam proximam et efficientem praebet, et causa procatartica, saepius irritamentum pertinacius inflammans, et in corpore irritabiliori spasmos euocans, contineat; species acuta saepius periculum inflammationis, aut iam inflammationem ipsam secum ferat; medela in uniuersum circa duas indicationes versari, s. ad dua principia reducenda esse videtur; quae sunt scilicet:

- 1) *Remotio causae* i. e. depletio totius corporis et vasorum a mole sanguinis laboriose circumfluentis, distentorum, et si periculum

lum inflammationis, aut inflammatio ipsa effect  
 vrget, *methodus antiphlogistica seriosior.* resti

2) *Antispasmodica*; ad tollendum spasmodium tior  
 e causa procatartica. e. gr. Exanthemate etian  
 retropulso, transpiratione suppressa, crisi tur  
 interrupta etc. aut in corpore nimis irrita paru  
 bili ortum, donec hoc irritamentum inter chro  
 dum pertinax remoueri potest. Dys  
 nior  
 quac  
 terd

Schema medelae perfectum et methodum medendi regulis et cautelis fixis stabilitum euoluere mihi impossibile erit, cum morbum nisi semel viderim, et a scriptoribus in arte medica celeberrimis nondum sit designatum; methodum antiphlogisticam vero in extenso, pro molestia otii, rursus decantare, mihi inutile, non conueniens, et superfluum esse videtur. Ne vero extra finem vagemur, observationes circa remedia primaria iamiam adhibita et maxime vtilia inuenta recenseamus.

*Venaesectio* est omnium remediorum primum, ferme vnicum necessarium et sufficiens ad morbum funditus debellandum; nam facili et eximio modo causam morbi, et morbum ipsum semel et simul tollit, spasmos soluit facultatemque corpori dat, serum extrauasatum resorbendi. Igitur semper momentaneum effectum



effectum praebet, se- et excretio urinae inde restituitur, et interdum iam inter administrationem cum magno leuamine mingebant *i*), etiamsi ab omnibus aliis remediis desisteretur *k*); pulsus magnus, fortis, in specie acuta paruior, pulsus paruus suppressus in morbo chronico, fortior et euolutus reddebatur *l*). Dyspnoea cessabat *m*) et tunc diuretica leniora, e. gr. Cremor Tartari, eximie operabant, quae antea nullam efficaciam ostenderant; interdum venaesectio non nisi saepissime repetita

*i*) MONRO l. c. STOLL l. c. MEDICUS l. c. PORTE l. c. BACHER l. c. BETBEDER l. c.

Amicus dilectissimus Dr. BASILEWITSCH in nosocomio Petropolitano vidit chirurgum, in relatione valde reprehensum de venaesectioe, in hydropico pridie recepto, solum ex indicatione pulsus fortis duri et pleni instituta. — Medicus huius erroris causa, de morbo prognosin pessimam praesagiebat. Sed in visitatione ipsa et exploratione diligentiori, salutarem effectum eidentissimum a sanguinis missione observabat; nam paullo post venaesectionem, urinam sine villo alio medicamento, et per totam noctem, profusa copia et summo leuamine emiserat.

*k*) MEDICUS l. c. p. 386.

*l*) MEDICUS eodem loco.

*m*) MONRO l. c.

tita morbum fugare potuit *n*). Quo tardior venaesectio instituitur, eo pertinacior fit morbus; sed si etiam morbus potius progressus est, et vasa, longa distensione, totius corporis relaxata sunt, depletio nihilo tamen minus necessaria est *o*); nam auferendo causam incipere debemus, et si etiam per breue tempus incrementum oedematis sequeretur, malum hocce ineuitabile, et postea remediis leniter tonicis, facile corrigendum est: sic etiam, si relaxatio et tensio spastica simul adsit *p*), quod frequentissime et in binis speciebus accidit, et difficillime cognoscendum est, venaesectio, remediis antiphlogisticis et antispasmodicis ex morbo complicato simplicem reddere debemus, licet sit relaxatio aucta; omnes contraindicationes cedunt huic simplici principio et remedia fortiora, methodusque calidus aegrotum interimunt. — Profuerunt denique phlebotomiae moderatae, sed aliquoties repetitae, magis, quam nimis magnae. Si in hydrope acuto symptomata visceris cuiusdam affecti, et praecipue signa peripneumoniae apparent, *venaesectiones topicae q*) opti-

*n*) SAUVAGES l. c. supra in Diss. p. 6. PORTE l. c. supra eodem loco.

*o*) BACHER l. c. p. 73 sqq.

*p*) BACHER eodem loco.

*q*) BACHER l. c. p. 41.

mo successu et ad salutem aegri administratae sunt; — de applicatione *vesicantium* et embrocatione linimenti volatilii in tali casu nihil inueni; sed non dubito, post satis exhibitam sanguinis missionem, haec remedia optime in vsum trahi posse.

Si phlebotomia sola vrinae excretionem non satis mouebat, vsus protractior mitiorum salium, *cremoris tartari*, *terrae foliatae tartari*, et ipsius *nitri*, in tenui et profusa solutione cum paullulo *oxymellis scillitici*, quae antea nullum effectum praestauerant, vrinam sufficienter eliciebant.

*Opium* aliquando omnibus aliis praecellit, optimum et tutissimum anodynum, quo nihil magis confert ad spasmos sedandos r). Si post vnaesectiones et omnia alia refrigerantia, ob tensionem spasticam vrinae non veniebant, tumor tensus molleiebatur et dolores totius corporis non cessabant, opium illas prouocabat, et has mitigabat; — etiam in aliis

C 2

hydro-

r) PORTE l. c. p. 21. *Ascite guerrie par dix saignées et l'usage de l'Opium*; LAWRENCE l. c. p. 111. ait: Quosdam enim ascite laborantes frustra tentatis iis, quae vrinam et aluum ducunt, frustra etiam roborantibus atque calefacientibus adhibitis, vnaesectione, refrigerantibus, quin etiam ipso Opio dato sanatos nouimus. — BACHER l. c.

hydropis speciebus, semper doloribus spasticis ventris coniunctis, hanc efficaciam opii observaui.

Ceterum, in nulla alia hydropis specie potus tam largus, aquosus, quam sitis aegroti postulat, et *dieta antiphlogistica* magis requiritur, quam in nostro; *paracentesis* praebet optimum remedium palliatium, vt medicus, indicationibus praesentibus satisfacere, et potum frequentem vrgere possit.

Denique mihi persuasissimum est, omnia, quae de usu et effectu eximio potus copiosi, acidiusculi, et regiminis antiphlogistici, *cremoris tartari*, *salis acetosellae* et nitri, in cura hydropum dicuntur, non raram praesentiam status plethorici ac inflammatorii probare, qui fortasse venaesectionibus multo facilius sublatus fuisset.

Haec sunt, quae fugituo calamo proiicere, temporis mihi concessi breuitas me coeruit. — Quantum distat inter descriptionem perfectam talis morbi, et meum libellum, perbene scio; sed mihi etiam certissime proposui, tempore magis commodo, expositionem perfectiorem et solidiorem de hoc morbo exarare.

1) P

2) Ca

3) V

4) E

5) P

6) In

7) Fe

---

## Theses inaugurales.

- 1) *Pruritus terminologorum, nouaturientium, rixantium, dolor discentium.*
- 2) *Cancro et febre maligna minime corpus humanum, sed ars medica tantum laborat.*
- 3) *Variolae spuriae a veris non essentialiter differunt.*
- 4) *Exstirpationem variolarum ad pia quidem desideria, sed etiam ad frustranea pertinere arbitror.*
- 5) *Phrenitis minime morbus sui generis, sed symptoma potius plurium morborum videtur.*
- 6) *Inflammationem pulmonum modicam semper hydrothorax incipiens comitatur.*
- 7) *Febris puerperarum semper gastricae putridae indolis est.*

8)

---

8) *Haemorrhoides coecae, varices venarum  
intestini recti non sunt.*

9) *Id quod in fluxu coeliaco per aluum eua-  
cuatur, chylus esse non potest.*

10) *Prudens usus mercurii sublimati corrosiui  
nunquam nociuus.*

11) *Coreotrophea, diuulgationem luis venereae  
cohibere non valent.*

12) *Acaros in scabiei pustulis obseruatos, non  
pro causa efficiente, sed potius pro  
effectu morbi habendos esse arbitror.*

13) *Diaeta tenuis plethoram et obesitatem  
arcere non valet.*

14) *Diaeta stricta mala curantur et fiunt.*

---

Path. spec. 1799.







